

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

Sectio IV. Solennia interna protestationis cambialis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

tionale est, ab omissione facti debitoris indossati pendens \*).

§. 36.

4) *Confectarium.*

Plures protestationes circa idem cambium ob facta diversa, quae vel alium regressum, vel regressu erga quendam perempto, ejusdem usuni adversus alium fundant, obvenire et consignari posse omni dubitatione caret \*\*); sed hic omnia ista recensere necessarium non duco.

SECTIO IV.

Solennia interna protestationis cambialis.

§. 37.

1) *Quis protestetur?*

Protestari s. protestationem instituere (§. 8. not.) dicitur is, qui instrumentum publicum super protestatione conficiendum curat. Est is vel cambii dominus sive etiam aliis, qui de juribus suis, cambio vel non acceptato, vel non

\* ) Ita rem ordinatam habes in *Allg. preuß. LR.* §. 1204. sqq. — Nullius momenti esse videntur, quae in contrarium adduxit LUDOVICI in *Wechselproc.* cap. 3. §. 13.

\*\*) cf. *Allg. preuß. Landr.* P. II. §. 1060. 1061.

non soluto etc. periclitatur, vel horum mandatarius \*). Inter hos autem insignis haec differentia intercedit, quod prior de suis ipsius juribus disponere, ergo in protestatione instituenda vel omittenda liberius agere possit; id quod mandatario, cuius mandatum ad tuenda alterius jura aperte tendit, et qui alias ad omne damnum culpa sua levissima datum resarcendum tenetur \*\*), non aequa licet. Est istud extra omne dubium positum, si propter acceptationem vel solutionem penitus denegatam protestandum est. Si vero acceptatio vel solutio quodammodo conditionalis vel restricta esset; de isto quidem, an particularem solutionem etc. acceptare vel denegare possit, dubitari potest; attamen per se patet, quod, quatenus cambio satisfactum non sit, protestari debeat mandatarius \*\*\*); non aequa vero jurium ipse compos, si iisdem renunciare velit (§. 22.)

## §. 38.

Quid vero de tertio dicendum, qui in honorem cambii acceptat? num hunc ad protestationem instituendam obligatum censere possumus? Variant maxime circa hanc quaestionem tum leges, tum doctorum opiniones. \*\*\*\*)

Ne-

\*) Qui vero speciali mandato ad protestationem instituendam minime indiget, uti jam optime observarunt FRANCK in inst. j. c. Lib. I. Sect. 4. tit. 1. §. 6. et tit. 2. §. 4. et RICCIUS in exercit. camb. Ex. X. Sect. 5. §. 4.

\*\*) L. 13. et 21. Cod. mandati. PUFENDORF de culpa P. IV. cap. 3. — cf. allg. preuss. Landr. P. II. §. 1016. et Frankfurt. Wechselrespona P. I. resp. 9. pag. 10. sqq.

\*\*\*) Allg. preuss. LR. P. II. §. 1017.

\*\*\*\*) Duplicem hoc casu protestationem exigit e. g. FRANCK in inst. j. camb. L. I. Sect. 3. tit. 3. §. 20.



Negant eandem plures \*) et recte quidem, sed, uti mihi videtur, casu non semper penitus respecto. Minime enim hic de ista, quam praesentans prescribendam curet, protestatione sermo est; quippe quam nec in isto casu omittere licet, tum ut ipse praesentans vel ejus mandatarius, tum ut tertius acceptans, qui sibi protestationem tradi postulat, probationem istius facti, a quo jura illorum pendent, in promptu habeat. Tenetur quoque absque dubio cambii proprietarius, dum de juribus suis non amplius periclitatur, istam protestationem a se institutam acceptanti ad hujus jura contra transstantem tuenda trahere. Non vero video, quomodo nova protestatio tertii acceptantis necessaria esse possit. \*\*) Rem istam, quae acceptatione in honorem factae ansam dedit, protestatio jam consignata probat: acceptatio et solutio perpetrata ex ipso cambii instrumento elucet, quod praeterea ut in se met ipsum indossetur, curare potest iste in honorem acceptans; quanquam etiam isto indossamento praetermissum idem omnino obtineat, quod circa acceptationem a transfato factam \*\*\*).

E 2

§. 39.

\*\*) e. g. SIEGEL in *Einl. ins WR*, P. II. cap. 5. §. 3. (in ejusdem corpore i. c. P. II. pag 433.) per ill. GMELIN. l. c. §. 143. pag. 221. Concordare cum his videtur Pfalzbair. Wechselpatent; Wechselordn. §. 12. Omnino concordat Oestreich. Wechselpatent, v. 1763. art. 16, in UHL cont. III. pag. 13.

\*\*\*) Leges domesticas et peregrinas in varias partes eentes allegatas habes apud SIEGELIUM l. c. — Priorem, non vero posteriorem, protestationis speciem exigit *allg. preuss. Landr.* P. II. §. 1022.

\*\*\*\*) Idem ordinatum vide in *allg. preuss. Landr.* P. II. §. 1026.



## §. 39.

2) *Contra quem protestetur?*

Instituitur protestatio, uti dicunt, contra eum, qui actum istum, de quo suscipiendo adeundus est, non suscipit. Ex ipso tamen cambii instrumento pateat, actionem talem ab eodem exigendam esse, atque id quidem hoc ipso tempore. Minime ergo protestandum contra istum, cuius nomen in cambio non occurrit, et ad quem cambium non est directum; nam tunc nullo modo ex cambio apparet, obligationem ejus, a quo petatur, cambiam ab omissione quadam istius suspensi esse. Quae enim extra cambium occurrunt, ad processum cambiale non pertinent \*).

## §. 40.

Quaeritur porro de cambiis, quae non in trassati domicilio, sed aliunde a quodam trassati mandatario solvenda sunt. Acceptavit scilicet trassatus et mandatum de solutione alio loco praestanda ad alterum quendam direxit. Jam si mandatarius iste non solvat, protestatione sane opus est; sed utrum sola ex facto hujus mandatarii concepta sufficiat, an acceptans iste nunc iterum de solutione adeundus, eaque deficiente nova protestatione opus sit, dubitatur. Mihi quidem probatur SIEVEKINGE II \*\*) sententia, priori sola rem confectam esse. Argumento enim hoc unico omnia exposita esse videntur, esse hanc conditionem cambi, ne in trassati domicilio solvantur, sed alibi. Inscriptis trassatus acceptationem et assignatio-

\* ) cf. de hoc aliquo casu simili SIEVEKINGI Materialien §. 174. 175.

\*\*) Materialien. §. 156, sqq.



tionem, a quo solutio sit petenda. Omnia haec ex propria scriptura patent. Omissio igitur assignati sola probanda restat, et haec quidem non nisi protestatione probari potest \*).

S. 41.

3) *Confectaria ex praecedentibus.*

Possunius etiam fingere casum, in quo ipse trassatus ad protestationem instituendam obligatus haberi potest. Evenit interdum, quod cambium trassato ad acceptationem praefstanlam remittitur. Quod si fiat a quodam indossatario, ordinario hic in casum denegatae acceptationis regressum contra alium quendam habet. Probandum ergo est, acceptationem denegatam esse, ad quod protestatio omnino requiritur \*\*).

S. 42.

Occurrit et hic iterum quaestio maxime controversa: an trassatus, qui cambium non ex istius tenore vel trassantis mente in literis avisatoriis declarata, sed in honorem trassantis acceptat, ad protestationem instituendam obligatus sit? Affirmare generatim videntur b. de SELCHOW\*\*\*), et ill. Musäus\*\*\*\*). Multis hanc sententiam

E 3

ar-

\*) Idem obtinere videtur ex argumento juris Borussici (*alig. pr. L.R.*) P. II. §. 1114.

\*\*) cf. SIEVEKINGII *Materialien* §. 129.

\*\*\*) *Grundsätze des WR.* §. 80.

\*\*\*\*) *Aufangsgründe des WR.* §. 154.



argumentis prolixo defendere conatus est Car. Gottl. KNORRE in dissertatione peculiari. \*) Vix tamen quaestione, de qua disceptatur, satis clare perspectam habuisse videtur. Non enim id agitur, utrum omnino in hoc casu protestatio formalis necessaria sit, an vero sola formula privata acceptantis cambio inscripta sufficiat, se supra protesto acceptare; circa quod sententiam affirmativam probare videtur Sam. STRYKUS \*\*) a KNORRIO laudatus. Merito ad eandem negando respondet KNORRIUS; semper enim protestatio praesentantis de acceptatione ita, uti postulata est, denegata necessaria erit, si quidem ulla exinde petitio possit esse deducenda \*\*\*). Novam vero a trassato in honorem acceptante conficiendam protestationem necessariam habere nequeo, iisdem argumentis, quae supra in casu simili (§. 38.) exposui, adducitus\*\*\*\*). Nullum enim novum alterius factum hic probandum est, regressusque contra trassantem eadem ratione, qua in alio acceptationis casu, competit. Habeo hic quoque suffragantem per ill. G MELINIUM †), quamquam consueto

\*) Inscripta est: *Beantwortung der Rechtsfrage: ob der Trassar, wenn er den auf ihn trassirten Wechsel nicht nach dessen Inhalt, sondern dem Ausgeber zu Ehren acceptiren will, zu Erbaltung seines Regresses denselben eben sowohl, als ein dritter vor Notarten und Zeugen protestiren müsse? — in ejusdem rechtl. Abhandlungen und Gutachten pag. 28 — 44. Nec RICCIUS (exerc. X, Sect. 5. §. 7.) rem penitus perspicuisse videtur.*

\*\*) diss. de cambialium literarum acceptatione, Hal. 1698. (et in cel. BESSEKTI thes. T. I. pag. 340. seqq.) cap. IV. §. 19 pag 366.

\*\*\*) Optime haec, uti plura, exponit, quamquam pro more suo nullis legibus vel doctoribus innexus, SPERANDER in sorgfältig, Negotiant und Wechsler. (Rost. 1712.) p. 27. §. Wenn einer

\*\*\*\*) Trassatum ipsum in honorem acceptantein cuique tertio in eodem casu existenti per omnia perequatum habes in allg. preuss. I.R. P. II. §. 1031.

† l. c. §. 143.



fueto semper argumentationis modo sententiam suam fulciat.

## §. 43.

4) *Tempus protestationis instituenda.*

Tempus, quo protestationis instrumentum confidendum sit, saepissime constitutionibus cambialibus \*) accurate definitum est; sed et haec quaestio, si responsonem generalem ad eandem quaeras, secundum leges particulares non est exponenda. Apparet sane, protestationem nullo modo esse differendam, cum eadem in processu cambiali ulum maximum praestet, isque brevi praescriptione ubivis extinguitur. Cauta igitur semper ages, si statim post omissam, ex qua protestandum, tertii actionem protestationem conficiendam curabis. Tum enim nullam tibi culpam sive moram imputare quisquam poterit. Protesteris ergo, si tibi prospicere velis, eodem die, quo actionem ab alio suscipiendam, s. acceptione sit s. traditio s. solutio, exigere potes. Jubent idem etiam plurimae constitutiones particulares. \*\*) Attamen e rei natura fluit, omnem dilationem, ex qua nullum omnino emanavit vel emanare potuit damnum, culpae non esse accensendam. \*\*\*)

## §. 44.

\*) e. g. *Allg. pr. LR*, Part. II, §. 1007 - 1010.

\*\*) *Allg. preuss. Landr. P.* II, §. 1007.

\*\*\*) cf. *Allg. preuss. Landr. P.* II, §. 1009.

